

diarie admittuntur, virtutes, & martyrium plene comprobantur ex historicis, sed primi tantum, vel secundi gradus. Idem in cit. cap. 8. d. num. 13. usque in finem.

22 In causis vero procedentibus per viam non cultus, cum probatio constituenda sit in testibus de visu contestatur, virtutes, & martyrium non bene probantur ex dictis historicis primi, & secundi gradus; & tanto minus ex historicis tertii, & quarti gradus. In istis enim causis non habent vim nisi adminiculi, majoris tamen, vel minoris juxta regulam auctoritatis, & fidei ipsis prestande secundum suum gradum superius assignatum. Idem ibid. num. 12.

* Qui tamen postea, ut diximus, ad Summum Pontificatum assumptus per decretum generale die 23. Aprilis 1741. editum mandavit, ut imposterum in causis Beatorum procedentibus per viam cultus immemorabilis admitteretur probatio subsidiaria virtutum, aut martyrii ex testibus de auditu, aliisque adminiculis: cujusmodi probatio admitteretur etiam in causis Servorum Dei procedentibus per viam non cultus, semoto tamen dolo, & culpabili dilatione. Et preterea decrevit, ut in causis Beatorum per viam cultus immemorabilis procedentibus, probatis virtutibus, aut martyrio per testes de auditu adminiculandos, non duo imposterum, sed quatuor pro canonizatione miracula per testes de visu probari debeant: idemque servandum pro beatificatione Servorum Dei in causis procedentibus per viam non cultus; probatis virtutibus, aut martyrio per testes de auditu, ut supra, adminiculatos.

23 Historia de virtutibus, & martyrio non sunt contentende, etiamsi in eis aliqua conciones ad encomium Sanctorum inserte sint, quas certum est non fuisse habitas seu factas à dictis Sanctis; Nec etiam contentende sunt, etiamsi unus, vel alter error in eis inveniat, dummodo tamen eorum auctores probi sint, prudentes, ac fide digni. Idem ib. c. 9. n. 3. & 4. ex Baronio, Bollando, Mabillonio, & aliis ibi allegatis.

24 Historici probant, nec unus dicitur alteri contrarius, licet sint ejusdem ætatis, & unus ex his referat id, quos non referatur ab alio. Idem ib. cap. 9. num. 5. concludens cum verbis Castellini de Inquisit. miracul. in causis Martyrum p. 64. ubi ait, Regulariter, & ordinarie esse utitatum, apud Scriptores, etiam Ecclesiasticos, ut unus vel alter non exprimat omnia, & singula gesta aliquis Viri Dei; Sed quod unus mittit, alter vero refert; Quod observant etiam Evangelista scribentes gesta Salvatoris nostri; Nam quod unus omisit, alter explicavit.

25 Historico posterioris ævi, qui aliquid referat, de quo tacerunt omnes alii antiquiores, & classici historici, nulla est prestanda fides, nec concedenda auctoritas. Communis cum eruditissimo Baronio ad annum 237. ubi sic expresse habet. Non audiendi penitus Recentiores quidam, qui post Pontianum introducunt Cyriacum quemdam Pontificem, cujus nulla proventus extat mentio in serie Romanorum Pontificum. vel apud Optatum Milevitanum, vel Augustinum, vel Cretenium, aliorum Indices Vaticanos, nec apud Gregor. ut Eusebium, Nicephorum, vel alios: adeo ut ne digna quidem sit, quæ pluribus confutetur, sententia, quippe que nulla penitus nitatur ratione vel testimonio Antiquorum; ac Sapientissimo Ludovico Antonio Muratoro Anecdori. tom. 2. cap. 21. sic præcise dicente: Et quo pacto, amabo, commenta fabuleque explodi, atque exhibitari possent, qua in posteriorum temporum historia irrepserit, nisi Antiquorum silentium plurius quam imperita aulæque Recentiorum loquacitas ponderetur? Affirmant hi ad arbitrium suum, gestaque à temporibus suis remotissima somniant: illi vero ne volam quidem, vestigiumque earum rerum reliquere, relicti sane, si illarum notitiam habuissent. Et nos affirmantium potius imperitia, quam tacentium doctrina duci sinemus?

26 Et si fortiori nulla est prestanda fides Historico asserenti aliquid, de quo inter alios Historicos est communiter receptum contrarium, ut exemplificari potest in Benvenuto de Imola nel Comment. in Dante impress. Pitauri à Christophoro Berardo fol. 1167. ubi asserit, quod perdidit Mahometes fuerit habitus ut Cardinalis Romæ, ac missus in Africam ad prædicandam fidem Catholicam, ad

quam sua singulari gratia, & eloquentia fere totam illam gentem reducerat: ob quod Cardinales ei promiserant, quod decedente Summo Pontifice ipsum eligerent; at secuta dicta morte, alio ab ipsis electo Summo Pontifice, indignatus ille cepit omni conatu contrarium prædicare, ac totam illam nationem seduxit, atque ad falsam sectam Saracenorum reduxit: Quod totum falsissimum est, & mere chimericum ab omnibus communiter historicis impugnatum, ut videre est apud Ursayam Inst. crim. lib. 4. tit. 8. num. 120. & seq. ubi totum id refert. Sic nullimode est credenda fabulosa historia de Joanna Papissa, quicumque fuerit prius ejus Inventor, sive Martinus Polonus, sive Marianus Scotus, sive Sigebertus, ut aliqui volunt, sive alii, ut alii prætendunt, sive probabilis Hæreticorum fraus & malitia, qui in derisum Sanctæ Pontificiæ Sedis dictorum Historicorum scriptis fabellam hanc inseruerunt; ut eruditissime suo more advertit Summus Pontifex Benedictus XIV. in cit. l. 3. c. 10. num. 4. Item totaliter deridenda, & explodenda est fabula de malignissime excogitata, & falsissime asserta infelici prætensa morte Subtilis. Viri mei Joannis Duns Scoti, quod Bovicus, secutus Paulum Jovium refert infelici vite exitu fuisse extinctum, eumque comitali morbo laborantem, & nimis festinato funere elatum, cum redeunte vita, sero morbi imperum natura disceretur, frustra miserabili magitu opem petiisse, pulsatoque diu lapide, eliso tandem capite, miserabiliter periisse. Et sic de pluribus aliis Historicis consimiles evidentes falsitates, ac fabulas referentibus, que evidentur falsæ, ac chimericæ communi veridicorum Historicorum sensu habentur, ut nec confutationem mereantur, juxta auream sententiam S. Athanasii relati ex Patre Sebastiano à S. Paulo Carmelita ab Ursaya l. c. num. 123. ibi: Nimis falsa non sunt refellenda, ne habita fuisse creditibilia videantur.

Historicus rationaliter attemptari prorsus debet in animi affectionibus amoris, & odii, aliter enim vel veritatem excedere, vel à veritate deflectere facile erit, siquidem ut præclare dicitur per vulgare effatum: amor, & odium nomen imponunt.

Historicus ne vel leviter etiam semel mentiri debet, nam qui mendacium ponit, fidem in veritate sibi tollit, dum semel malus semper præsumitur esse malus: textus expresso in cap. Semel malus 8. de Regulis Juris in 6. in eodem genere mali, ut explicat Glossa ibid. & nisi de emendatione appareat; cap. Ferrum 18. dist. 50. & Tullius pro C. Rabirio Posthumo nos admonet: Ubi semel quis peccaverit, et credi postea, etiam per plures Deos juret, non oportet.

Historico abs re facta, & auctoritates mutilanti, vel documenta sibi adversa retinenti nulla merito est fides, sic namque sufficiens ingeritur suspicandæ motivum voluisse fallere, & ex tacitis asserta non subsistere, ac ipsimet sua proinde fere dubia, indicant, consequenter &c.

Historico coevo magis standum est, quam non coævis, testis enim coævus rem gestam propriis oculis conspiceret potuit, minime vero testes non coævi, atque ideo ille præferendus est: hinc communi Criticorum calculo facta antiqua per testes coævus, vel proxime coævus non probata pro fabulosis, vel admodum dubiis habentur, ut Cicero lib. 1. qq. Tuscul. cap. 12. ait: Auctoribus uti optimis possumus, quod in omnibus causis, & debet, & solet valere plurimum, & primum quidem omni antiquitate, quæ quo prius ab ortu & divina progenie, hoc melius, & fortasse quæ erant vera, cernebat.

Historicus critica maxime decet, si christiane fiat, id est spreto & mordacitate ablegatis, si pompa, & ingenii ostentatione semotis, æquitatis solius, ac veritatis amore fiat, etenim si vera nullatenus apparebit in conspectu Domini, & absque alterius læsione culpabili falsa à veris late secernerent, nec non scribendi cum veritatis, vel proximi oppressione, & absque proportionato rei examine facilitas obretur, vel saltem jure confunditur: est enim critica, ut optime tradit P. Honoratus à S. Maria t. 1. animado. in regulas Criticæ dis. 1. art. 1. ars judicii ferendi de factis historiæ constituitur, de operibus ingenio partis, de eorum variis lectionibus obviis; de sensu, stylo, & Auctoritate: Hinc termini Criticæ, & criticæ

care à græco ducti, ut vides, idem sonant, ac Judex, & Judicæ, unde apud Medicos dies critici appellatur illi, in quibus judicium faciunt de morbis maxime acutis, ut sunt dies 7. 14. 21.

32 Non videtur in Historico laudabile quædam præsentium ecclesiasticæ historie credita in dubium vertere, aut negare per principia levia, vel non nisi probabilia; quippe ad minus inutile proditur, quæ pie creduntur vel devotionem fovent, ac sufficienti sunt suffutis fundamento, quod in dubium per levia cientur, aut per solum probabilia negentur; secus autem si principia adducerentur certa, prorsusque ineluctabilia, sic namque falsitas degegitur, quæ veritati pleno jure cedere debet; & ex alia parte ad devotionis ac pietatis fomentum simul & incrementum vera non desunt media, nec per falsa enarrari egeret Dei miracula; hinc insipienter quis miracula effingeret ad divinas fidei mysteria suadenda, cum vera adsint innumera.

33 Licet sola facti possibilitas ad factum astruendum hand valeat, sufficit tamen gravis auctoritas vel accurata experientia. Ratio 1. partis est, quia esto ab actu ad potentiam teneat consequentia, non tamen è contra à potentia ad actum, prout attendendi per se notum est. Ratio 2. p. est, quia quod gravi constat auctoritate, nititur testimonio vel Dei, vel hominum omni prorsus fide dignorum. Ratio 3. p. est, quia nemo inficias ibit quod experientia constat, ex his colligi, que sensibus patent, eorumque recto usu firmiter deprehenduntur, quæque oculatum testimonium referant, experientia enim nil aliud est, quam cognitio per sensibilem usum reperta, vel ex frequenti effectu observatione invecata, indeque jure omnis experientia habetur pro rerum magistra.

34 In factis historie credendis apprime circumstantias attendere opus est omnes tum rei, seu internas, quæ videlicet ad ipsam rem spectant, tum Scripturam; seu externas, quæ nimirum testimonia concernunt ea, quibus nitimur, atque ad credendum ductum; quoties enim circumstantiæ tales comperiuntur, ut rarissime inveniantur cum falsitate conjunctæ, rationaliter enarratis præstatur fides, & assensus: si autem è contra sint, nempe tales, ut sæpius falsitatem inducant, merito eis vel non præstatur assensus, vel falsitas tribuitur: in primo namque casu veritatis apparet certitudo moralis, sufficiens in his, quæ nobis physice constare non possunt, secus autem in secundo, sicut est clarum. Generatim igitur antequam de facto historico judicium feratur ætate considerandum est, quod optime ait Fortun. à Britia p. 21. Logices arti, & scilicet, non ex circumstantiis aliqua moraliter, saltem ratione loci, personæ, vel temporis, sit impossibilis, num una ita cum altera pugnet, ut ambæ simul in ipso facto componi nequaquam possint; si namque aliqua sit impossibilis, vel illarum una adverteatur alteri, jam factum vel nullam, vel non nisi dubiam mereatur fidem, utpote quod hoc ipso, vel plane falsum, vel apprime dubium. Si autem in circumstantiis nulla falsitas, nullaque oppositio occurrat, factum censendum quidem possibile, aut minime illico credendum illud revera contigisse, nisi ea quoque adsit Auctoritas, vel testis conditio, ut plane dignus ille sit, cui fides adhibeatur; atque ex his liquido depromitur, unde ferendi sumus ad unum potius, quam aliud credendum ex his, quæ nobis gesta proponuntur, vel facta negantur.

35 Opera genuina, & authentica à falsis ac supposititis per quaque possimum capita discerni possunt. Primum est constans, ac perpetua traditio, idque luculentissime evincitur ex Div. August. lib. 33. contra Faustum cap. 6. ubi efficacissime, ac subtilissime, prout supra, ex prælaudato capite contra Manicheos demonstrat, Apostolicas Scripturas, Sacrosque Scriptores pro genuinis, authenticisque habendos esse: atque ex eod. capite genuinos Hippocratis libros à falsis sub ejusdem nomine prolatis esse secretos docet; immo Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque hujusmodi Auctorum libros ait, quod ipsorum sunt, nisi eadem temporum sibi met succedentium contestatione continas, atque idem affirmat de Scripioribus Ecclesiasticis, & inde subnectit; Sed quæ pergam in longè præterita? ecce istas literas,

FERRAC. BIBLIOTEC. TOM. II.

quas habemus in manibus, si post aliquantum tempus vice hujus nostræ, vel illas cujusquam Faustis esse, vel has neget esse meas, unde convincitur, nisi quia illi, qui nunc ista moverunt, notitiam suam ad longè veriam post futuros continuatis posterorum successibus trajiciunt? Que cum ita sint, quis tandem tanto fuore caccatur, nisi demoniorum mendacioso quom malida, atque fallacia, consentiendo submersus sit, qui dicat hoc mereri non potuisse Apostolorum Ecclesiam tam fidam, tam numerosam fratrum concordiam, ut eorum scripta fideliter ad posterum trajicerent, cum eorum cathedras usque ad presentes Episcopos certissima successione servaret, cum hoc qualicumque hominum scriptis, sive extra Ecclesiam, sive in ipsa Ecclesia, tanta felicitate proveniat?

Alia quatuor doctissime recenset Cl. Mabillonius P. 2. 36 de studiis monasticis cap. 13. videlicet. Si aliqua manuscripta existimatione digna, eaque imprimis, quæ magis auctori coævæ videntur, in fronte vel etiam in calce operis nomen ejusdem gerant. Si styli fuerit ubique conformis alteri ceterorum auctoris operum, sicut, & principia, ac opiniones. Si Scriptores, sive Synchironi, sive pene Synchironi ejusdem opus eidem auctori certo adscribant. Si denique nihil gestum in hoc opere legatur, quin cum historia sui ævi concordet: Et ex his juxta contrarium legem, ac disciplinam ratiocinare ad falsa, & supposititia erudenda opera: hujusmodi namque momenta, uti perspicuum est, ad utrumque multa efficacitate donantur.

De fide in judicio habenda Historicis, vide regulas à Rota traditas in Augustana Juris procedenti 28. Febr. 1746. §. 1. Julii ejusdem anni 1756. coram Reverendissimo P. D. Burzio Decan. & in Nullius, seu Tarraconen. Præcedentiæ. 13. Maji 1746. coram clar. mem. Melin. §. 20. Februarii 1747. §. 19. Junii ejusdem anni 1747. cor. R. P. D. Elephentani. §. 29. Januarii 1748. §. 13. Maji ejusdem anni 1748. coram bon. mem. Vair. &c.

HOMICIDA, HOMICIDIUM.

SUMMARIUM

- 1 Homicidium unde, & quid sit, quibus modis perpetratur, & cur ita appellatur: divio ejus proponitur, qualiaque sint, quando liceat idem committere ad num. 37.
- 38 Innocentem auctoritate divina licet directe occidere quomodo se gerere Judex possit, si scit innocentem esse qui ex adis nocentem apparuit: inter incarceratos, auctores ad supplicium, & damnatos ad defensionem, que distinctio, ad num. 44.
- 45 Propria auctoritate an liceat Patri, & marito filiam, & uxorem in adulterio deprehensam occidere: defensio hæc an liceat, ad num. 46.
- 47 Matrone honeste seu virgini in aggressorem, stupratorem, & nec licet occidere principem suum tyrannum: numquam se ipsum, secluso Dei mandato: quid in militia tempore obsidionis, si muros consecrati, ad num. 52.
- 53 Animarum curam exercentes tempore pestis quomodo se gerere debent pro Sacramentorum administratione: usor cum marito peste infecto: si ex incendio effugerit quis voluerit: dum turris hostiis evertenda: vita principis servanda, ad num. 59.
- 60 Quomodo vita non sit abbrevianda, potest caro macerari, & affligi: à matrimonio abstinere: se ipsos occidentes privandi sepultura, ad num. 62.
- 63 Clericus homicida quomodo puniendus: remissio in homicidis quid operetur: si homicida sit falsus Clericus à quo Judice debet puniri: de eo qui reassumpserit habitum, etiam loquitur, ad num. 70.
- 71 Irregularitas in homicidio an contrahatur: quando gaudeat immunitate: membri mutilatio non venit homicidii appellatione: que requirantur ut licite satellites malefactorem occidant: alia quædam homicidæ, irregularitatem, & restitutionem, cum variis decretis, ad n. 94.

FE

Sub-

95 Subnectuntur Auctoris supplementa, & novæ additiones ex aliena manu, ad num. 107.

HOMICIDIUM dicitur ab homine cædendo, est enim cædes hominis, leg. Si ita vulneratus, 62. ff. ad leg. Aquiliam, cap. Si homicidium 51. caus. 23. quest. 5. Unde homicidium definitur quod sit violenta exanimatio, seu occisio hominis ab homine facta. Est in re communis, 2 argum. citat. cap. Si homicidium. Dicitur autem notanter ab homine, quia si homo à fera, vel bruto occidatur, proprie homicidium non dicitur, sed pauperies, rit. Inrit. & ff. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur. Semper tamen talis cædes facta ab homine appellatur homicidium, quomocumque quis hominem occiderit, leg. 1. §. Occisorum, ff. strangulando; ut in l. Qua actione, §. Occisum, ff. ad leg. Aquil. Sive non manibus tantum, sed toto corpore, puta suffocando, ut occidit parentibus, & nutricibus infantes in lecto opprimentibus, de quo in cap. final. de his, qui fil. occider. 4 Sive vim inferendo suis propriis visceribus, qua fiat abortus, & fetus abigatur, atque moriatur; l. Si mulierem, ff. ad leg. Corneli. de Siciariis. Sive præcipitio, demittendo scilicet aliquem de ponte, vel de aliquo alio alto loco; l. Qua actione §. Occisum, & leg. Cum qui, ff. ad leg. Corneli. de Siciariis. Sive pugno; l. Si servum, §. 6. Si mulier pugno ff. ad leg. Aquilam. Sive telo, 9 §. Item lex Cornelia, instit. de publ. Judic. Sive clava lib. 1. §. D. Adrianus, ff. ad leg. Corneli. de Siciariis. Sive Legione; cap. significasti in princip. homicid. 11 Si falce, vel bidente, aliisque rusticis terræ instrumentis, de quibus in leg. Instrumenta, ff. de fund. instrum. Sive nimis gravibus custodiis, & carceribus, vel plumbatorum verberibus, aut ponderibus catenarum, & ferreis manicis, & corpori inhaerentibus; l. 1. §. Si accusator, & §. illum etiam Cod. de custod. Reor. l. Incredible; de panis, & l. Nemo carcerem, Cod. de 13 exaction. tribut. leg. 10. Sive denegatione alimentorum; leg. Necare, ff. de liber. agnoscend. & leg. Item si obsterix, §. Si quis, ff. ad leg. Aquilam. Sive flagello, in quo latet dolor, id est intra cuius virgam latet pugio; leg. Si ex plagis, §. Tabernarius, ff. ad leg. Aquil. 15 Sive malo medicamento; leg. 3. ad leg. Corneli. de Siciariis, & leg. Qua actione, §. Proculus, ff. Idem Juris, ff. ad leg. Aquil. Sive veneno leg. 1. Præterea, ff. ad leg. Corneli. de Siciariis. Sive occiderit lingua, puta mandando homicidium, consulendo illud, vel falsum testimonium dicendo, propter quod ad poenam ultimi supplicii quis fuerit condemnatus: sive denique alio quocumque modo, & ratione; leg. Qua actione, §. Occisum; ibi: Vel qualitercumque, ff. ad leg. Aquilam.

16 Homicidium dividitur in voluntarium, & casuale: lib. 4. Decret. tit. 12. de homicidio voluntario, & casuali. Homicidium voluntarium aliud est directe, aut indirecte tale. Homicidium directe voluntarium est quod vere per se, ac directe intenditur, cum quis primo, ac intentione occidendi hominem ense transigit, aut sclopeto trajicit illum. Homicidium indirecte, seu in causa voluntarium, est cum quis mortem alterius non intendit quidem, voluntarie tamen ponit talem causam, vel facit aliud, ex quo mortem moratier certe securitatem prævidet, ut si quis graviter percutit, aut pedibus calcat prægnantem feminam, & inde sequatur abortus, vel si in loco hominibus valde frequentato exploditur sclopetum, & inde homo occiditur. Homicidium casuale, est quod nec directe, nec indirecte intenditur, sed præter omnem intentionem casu, & fortuito accidit, ut si quis putans sclopetum esse vacuum, explodit ipsum, & explodendo præter omnem intentionem aliquem occidit.

19 Homicidium voluntarium injustum est peccatum ex genere suo mortale, Communis & certa. Est enim expresse prohibitum, & quidem sub gravibus penis tum in Testamento veteri, tum in novo. Exodi enim 20. inter præcepta negativa proximum respicientia, ponitur primo expresse; Non occides. Genes. 9. dicitur: Quicumque effuderit humanum sanguinem, effundetur sanguis illius. Levit. 24. habetur; Qui percusserit, & oc-

ciderit hominem, morte moriatur. Math. cap. 26. sic præcisse statuitur: Omnes, qui gladium acceperint, eo-que percusserint, gladio peribunt, & Apocalyp. cap. 13. sic mandatur: Qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Homicidium voluntarium potest committi iuste, seu licite, & injuste, seu illicite. Communis. Homicidium iuste, seu licite potest committi quatuor modis. Primo, mandato Dei speciali. Secundo, lege publica, & ministerio iustitiæ. Tertio, bello iusto. Quarto, necessaria sui defensione cum moderamine inculpate tutelæ. Quoad primum de mandato speciali, & instinctu Dei occidendi se ipsum, vel alium, nullum est dubium, cum Deus sit absolutus Dominus vitæ, & mortis hominis, Sapient. 16. adeoque homo possit in tali casu licite, immo teneatur ei obedire sicut prompte ei obedi- vit Abraham, quando præcepit ei Deus, ut occideret dilectum suum filium Isaac; Genes. 22. & Israelite de mandato Dei occiderunt parvulos Urbis Jericho, Jer. 6. & viri Samariæ interfecerunt 70. filios Achab, 4. Reg. 1. & sic de aliis similibus.

Quoad secundum lege publica, & ministerio iustitiæ, habetur tam ex divina, quam humana lege, licere auctoritate publica occidere malefactores. Divina quidem Exodi 22. expresse dicitur: Maleficos non patiaris vivere. Qui coierit cum iumento, morte moriatur; Qui immolat Diis, occidatur. Deuteron. 11. statuitur poena mortis filio proterbo parentibus inobediendi. Deuteron. 22. eadem poena mortis statuitur filia in domo patris fornicanti. Et ad Roman. 13. Apostolus de Principe seculari loquens, sic ait: Dei Minister est, tibi in bonum; Si autem malum feceris, time; non sine causa gladium portat, Dei enim Minister est, vindicæ in iram ei, qui malum agit. Leges humana autem licere constat ex cap. Quasimus, 45. caus. 23. quest. 4. cap. Prodeus, 4. cap. De occidendis, & cap. Sunt quadam 39. cap. Qualis 44. ead. caus. 23. quest. 5. cum concordantiis. Quoad tertium de bello iusto, vide 23 verb. Bellum art. 2. & 3. ubi late de licita occasione in bello iusto.

Quoad quartum de necessaria sui defensione cum moderamine inculpate tutelæ, licere occidere injustum aggressorem, tenet communissima D.D. cum Sancto Thoma 2. 2. quest. 64. artic. 7. & habetur in cap. Jus naturale distincti. 1. & cap. Significasti 18. de homicid. & cap. Si vere 2. de sent. excommunic. ubi dicitur: vim vi repellere omnia Jura, omnesque leges permittunt. Et leg. Qui ob tutelam corporis fecerit, iure fecisse existimetur. Dicitur autem notanter cum moderamine inculpate tutelæ, quia ad hoc ut talis aggressor occisio sit licita, tria potissimum requiruntur communiter à Doctoribus cum Julio Claro §. Homicidium num. 34. Primo scilicet requiritur causa, id est, quod aggressio, seu invasio sit injusta, quia pro defensione vitæ suæ non licet occidere iuste invadentes, v. g. Ministros iustitiæ, quia hi iuste invadunt, ut post Avilam de censuris part. 3. disput. 5. sect. 3. dub. 2. conclus. 1. & alios recte observant Pithing. lib. 5. Decret. tit. 12. rum. 92. Reiffenstuel ibidem num. 132. Secundo requiritur debitus motus defensionis, ita ut defensio non se extendat ultra id quod requiritur ad propulsandam injustam aggressionem, qui enim potest se defendere pugno, baculo, percussione, non lethali vel aggressorem abigere, & vincere illum exarmando, non potest licite illum occidere; argument. capit. Ut fama 35. de sentent. excommunic. ibi: Dum tamen non amplius eorum violentia se extendat, quam defensio exigit. Tertio requiritur tempus, id est, ut occisio ad sui defensionem fiat statim ac quis injustam vim, vel aggressionem occisivam, aut mutilationem patitur, vel certo imminente cognoscit, non vero postea, & ex intervallo postquam aggressor abiit, nullumque amplius remanet periculum; argument. cap. Si vero 2. de sent. excommunic. ibi: Si incontinenti vim vi repellat. Et ratio in universum est, quia defensio occisiva ut licita sit, talis esse debet, ut non ad sumendam vindictam, sed tantummodo ad propulsandam injuriam fiat; argum. cap. Significasti 18. de homicidio, ibi: Tamen id fieri debet cum moderamine

ne inculpate tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam.

Agitur de moderamine illo inculpate tutelæ, quod culpa vacet. Propterea ad hoc non sufficienti conditiones ab auctore positæ. Quarta addenda est, quam ex Antoine desumo tract. de Justitia & Jure part. 3. cap. 2. quest. 6. Requiritur ut nihil ex odio, neque ex animo vindictæ fiat, & ut non intendatur per se mors invasoris, sed sola vitæ propriæ conservatio per juxta sui defensionem. Quia occisio hominis privata auctoritate facta, non est finis licitus, nec medium per se necessarium ad sui defensionem; sed est tantum aliquid consequens per accidens ex necessitate finis, qui est vitæ conservatio. Vid. S. Thom. 2. 2. quest. 64. art. 7. Ceterum in praxi percussio, & occisio injusti vitæ aggressoris raro vacat culpa, quia fere numquam servantur conditiones ad licitam defensionem requisitæ. Et ideo aliqui Patres occisionem sine publica auctoritate factam indefinite damnant: scilicet ob periculum vindictæ, & excessus in modo defensionis, vel ob intentionem directam occidendi. Hac prælucente doctrina, invenies, Lector, quid corrigas num. 40. 44. 47.

Servato dicto moderamine inculpate tutelæ licitum est occidere injustum aggressorem etiam pro defensione vitæ, & membrorum parentis, uxoris, prolis, fratris, sororis, conjunctorum, immo & extraneorum innocentium; arg. cap. Fortitudo 5. caus. 23. quest. 3. ibi: Fortitudo, que vel bello iusto à barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena iustitia est; cap. Non inferenda 7. cap. Qui potest 8. ead. caus. 23. & quest. 3. juncto cap. Dilecto 6. §. Et quidem, de sent. excomm. in 6. & concordat l. 1. §. 4. ff. ad leg. Corneli. de Siciariis; Hinc Exodi cap. 2. numer. 11. laudatur Moyses, quod Ægyptium injustum aggressorem Hebræi cuiusdam occiderit, & absconderit in sabulo; Et sic tenent Farin. in praxi crimin. quest. 124. ad num. 267. Reiffenstuel loc. cit. num. 137. Jul. Clar. verb. Homicidium num. 27. ubi dicit esse communem, sicut communem dicunt Filiuc. Molin. Azor. ad propos. 17. & 18. Alexand. VII. num. 12. Immo licitum est etiam occidere injustum aggressorem ob defensionem bonorum temporalium, si sint magni momenti, & aliter defendi, vel recuperari non possint; Clarus verb. Homicidium à num. 25. Suarez de censur. disp. 46. sect. 2. num. 10. Lessius lib. 3. de justit. cap. 2. dub. 11. Covarrub. in Clementina Si furiosus, part. 3. §. unic. num. 6. in fine; Castropalao de censur. disp. 6. punct. 15. num. 8. & seq. Viva ad propos. 17. & 18. Alexand. VII. num. 10. & 12. cum satis communi aliorum; argum. leg. 1. Cod. Unde vi; ubi etiam universaliter concedi videtur his verbis: recte possident ad defendendam possessionem, quam sine vitio tenebat, inculpate tutelæ moderamine illatam vim pulsare licet; consequenter etiam occidere, si occisio ad defensionem est necessaria, cum permissio sine permittantur etiam media ad illum consequendum necessaria; arg. c. Præterea, de offic. & potest. Judic. deleg. l. 2. ff. de jurisd. l. Si furem 9. ff. ad leg. Corneli. de Siciar. Et ratio est, quia sine illis bonis non potest juxta proprium statum vita custodiri, adeoque sicuti licet vitam defendere defensione occisiva, ita etiam bona externa ad vitam conservandam necessaria, cum talia bona vitæ quodammodo comparentur; l. Advocati 14. Cod. de Advocatis divers. Judic. & ubi Glossa communiter recepta. Fuit autem dictum notanter, Si bona sint magni momenti, quia ob res levissimas non licet occidere aggressorem, hodie certissimum est ob sequentem propositionem ab Innocent. XI. die 2. Martii 1679. ex damnatis in ordine 31. ibi: Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius auri.

Circa hominis occisionem, Auctor fatetur naturæ, ac divina lege positiva prohibitam esse, quam ob rem negare non potest, veritatem esse homini velle alterius hominis occisionem; cum id Dei præcepto opponatur. Deinde in defensione, quam velle unice debet, qui pro sui conservatione pugnet, ut licita sit, non solum odium, atque vindictæ desiderium abesse

oportet, sed servari quoque debet præceptum charitatis, quo jubemur ita erga alios homines nos gerere, ut parati simus pro fratribus christianis ponere; Joas. Epist. 1. cap. 3. Hæc sanè comperta animamus omnibus esse debent, & in dubium salva religione revocari non possunt. Atque hinc habes, quam æqua sit damnatio propositionum XXXI. XXXII. & XXXIII. facta ab Innocentio XI. in quibus licita assertur hominis occisio pro unius auri conservatione, pro defensione juris quod habemus ad rem aliquam possidendam, vel pro tollendo homine injuste impediente possessionem rei, quæ nobis debeat. Quis enim non videt, hujusmodi occisionem pugnare cum præcepto Dei, qui jubemur homines sicut nosmetipsos diligere cum charitate, quæ Christus Dominus paratos nos esse voluit ad ponendam animam pro fratribus nostris, atque etiam cum justitia, quæ vetat, pro re, quæ nostra est, conservanda, vitam tollere, quæ Dei est qui ipsam dedit, & conservat, & quia inter vitam, & rem nulla proportio est, cum vita longe melior, atque excellentior sit omni pecunia, atque re pecunia comparanda. Accedit etiam, cum vita longe separari posse, ut homo defensionem rei suæ eo furore suscipiat, ut usque ad occisionem progrediatur, quod odium, iram, & vindictæ desiderium habet. Hæc omnia consideranda sunt dum de homicidio licito, vel illicito disputatur. Si vero ita spectatur, vix casus inveniri poterit, in quo licitum reputetur, sive à lethali culpa immune. Videant ergo probabilistæ nostri casus metaphysicos fingentes, ut quidpiam in favorem homicidii afferre possint, videant, quam latam perditioni viam aperiant, deocedo posse homines pro rei defensione, pro tollendo honore, &c. hominem occidere! Sed

Ventiam ad rem: ait Auctor licere occidere aggressorem pro re tuenda magni momenti. Iam licitum est pro re tuenda magni momenti perdere animam. Christi sanguine redemptam? Nam cum aggressor ille in peccato mortali actuali sit, occidendo illum, illius animam perdit. Deinde est ne proportio rem inter & vitam? Nulla sanè; ergo sicut non licet pro unius auri defensione aggressorem occidere, ita non licet pro re magni momenti, cum nulla res sit, quæ tantum valeat, quantum vita hominis. Hinc plures gravissimi Auctores negant licere unquam latrones occidere pro servandis, ac recuperandis bonis temporalibus; Ita Joannes Bardus Lovaniensis, qui quodlibet VII. testatur an. 1510. habere opinionem fuisse communem inter Theologos, & Canonistas; Ita Pagnanus ad caput Interfecti, de homicidio ubi ait: Secundum canones in foro scientiæ penitentialem, & quoad Deum absolute credimus, non posse Latrum sine peccato occidere spoliatorem. Ita Henricus à S. Ignatio, qui plures antiquos Theologos pro hac opinione laudat; Ita denique Pontas, Contina, & alii ab istis citati.

Ajunt bona temporalia media esse ad vitam utendam, ideoque ut vitam, ita & bona hæc defensione occisiva tueri possumus. At si bona ita accessoria sint pro vitæ conservatione, ut nil omnino speris ad vitam sustentandam, tum defensio non pro solis bonis, sed pro vita etiam suscipitur; & licita esse poterit si solam defensionem intendat. Ubi vero bona pro vita sustentanda supersint, quis dicat licite posse hominem occidere, sive vita private alium hominem, pro re conservanda, sine qua propria vitam conservare vateat? Nam nulla proportio est inter bona illa, quæ humana industria acquiri iterum possunt, & vitam, quam solus Deus dedit, atque conservat.

Addunt Exodi 21. probari occisionem furis sicut probatur in Jure canonico cap. Interfecti: ubi immunitas declaratur à culpa, qui sine odii meditatione, se, & sua liberando, diaboli membra interfecerit. Sed præ responsio est. Nam Scriptura loquitur de fure nocturno, in quo non solum auferendi bona, sed etiam occidendi voluntas præsumitur. Idque ex immediato contextu colligitur: Quod si orto Sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur. Homicidii igitur reus esse qui furem diurnum occidit, poenaque mortis plectendus!

At ejusdem valoris sunt bona, sive diu, sive noctu auferantur. Non ergo ob solam bonorum ablationem permissa est nocturni furis occisio (alioquin etiam fur diurnus permitteretur occidi) sed ob presumptionem voluntatis in ipso conjungendi furtum cum homicidio; P. Calmet in commentariis ad citatum textum hac animadvertit. Licet nocturnum furem interire, quod rationabiliter veteri possumus, quod nobis vitam velit eripere. Hæc veluti reliquæ sunt veteris juris omnibus hominibus communis, quo licebat ob acceptam injuriam vulscisci, antequam populi jus suum in Principum, ac Ministrorum manu deposuissent. Leges in hoc casu tantummodo in privatorum manu collocant arma, ut queant interficere in persona illorum, qui eos noctu aggrediuntur, non modo privatos inimicos, verum etiam publice quietis hostes; atque in hoc sensu affertur potest, eos nequaquam occidere privata auctoritate, sed legitima magistratum, legumque auctoritate, quæ depositarie sunt juris, quod habet Deus super hominum vitam. Hæc homicidiorum genera Ecclesia patitur, nec desunt Scholastici, atque Interpretes, qui doceant, salva conscientia furem interim posse, vel alium quempiam, qui nos aggreditur, vitam abreprensurus, cum jacturam illius aliter nequeamus effugere. Sed Augustinus optime ait lib. 1. de lib. arb. cap. 5. *Legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interficere; sed quomodo ipsos qui interficiunt defendam, non invenio.* Re quidem vera quædam justificari potest hominem interficiens, ut servet ea quæ religio nos aspernari vult? Evangelium patientiam prædicat, & Patres docere semper, non licere quemquam interficere. Homicidium voluntarium generatim damnat, & sine ulla restrictione. Hætenus P. Calmet: Judicium meum in animadversione sub finem dicitur adicienda exponam. Ad textum allatum ex Cicerone respondent, Romanos tulisse leges, quæ privatis permittebant occisionem furum, qui simul vite insidiabantur. Patet ex l. 9. ad legem Corneliam: *Furem nocturnum si quis occiderit, ita demum impune feret, si parcere ei sine periculo suo non poterit.* Nihil ergo emolumentum hinc colligere adversarii valent. Immo ipse civiles leges improbant occisiones latronum, qui absque vite hominum periculo bona temporalia surripiunt. Accedit, supremas Potestates legem condere posse, quæ subditis licentiam faciunt occidendi publicos Reipublicæ perturbatores, & facinorosos homines, qui civili commercio insidiantur. Ad canonum testimonia facilis, & obvia responsio est. Siquidem cap. *Interfecti* sermo est de invasore, non bonorum modo, verum etiam vite: dicitur enim *te, tuaque.* Distinctio quam huic textui affigunt Probabilistæ, arbitraria est. Quare perdoctus Fagnanus animadvertit, primam particulam illius textus, *Interfecti furtum, aut latronem,* explicari debere per posteriorem, juxta textum in *leg. Quomodo*, ita ut sensus sit: Si interfecisti furem, qui te tuaque invaserat, qui tamen comprehendere poterat absque occisione, age poenitentiam: si autem comprehendere minime poterat, & tu interfecisti, te, & tua liberando; poenitentiam non adstringeris, nisi ad cautelam. Aliud caput nullum facessit negotium. Quippe ibi sermo non est de occisione, sed de expulsiōe usurpatoris: citra occisionem. Quod adeo verum est, ut Pontifex Decano Aurelianensi approbaverit usum armorum spiritualium adversus præponentem invasorem. Ut quid autem confugisset Decanus ad excommunicationem, & interdictum, si licitam existimasset corporalem occisionem?

29 Hinc fur tam diurnus, quam nocturnus servato moderamine inculpate tutelæ pro conservandis rebus temporalibus magni momenti, nedum propriis, sed etiam proximi, si aliter defendi, & conservari non possint, licite occidi potest, non tantum à laicis secularibus, sed etiam à Clericis, & Religiosis: argum. cap. *Dilecto* 6. de sent. excomm. in 6. Et ratio est, quia ipso jure natura licet vim vi repellere quantum opus est ad se sua que tuenda; cap. *Jus naturale* 7. dist. 1. cap. *Significasti* 18. de homicidio, & cap. *Si vero* 2. de sent. ex.

commun. ubi dicitur: *Vim vi repellere omnia jura, omnesque leges permittunt.* Et expresse id permittunt leges civiles, quia aliàs daretur occasio bonos, & innocentes spoliandi; l. *Si furem* 9. ff. ad leg. *Cornel. de Sicar.*, & l. 4. ff. ad leg. *Aquil.* & consentit Jus canon. cap. *Interfecti* 2. & cap. *Si perdoctus* 3. in fine de homicidio. & citat. cap. *Dilecto* 6. de sent. excomm. in 6. & tenet Cardinal. de Lugo disp. 10. num. 169. Viva ad propos. 17. & 18. *Alexand. VII. num. 10. & 12.* ubi testatur de communi, & sic communiter docent Silvester, Cajetanus, Sotus, Navarra, Molina, Tambur. ut testatur, & sequitur Sporer tom. 2. tract. 6. in 5. præcept. decalog. cap. 2. sect. 3. num. 155. & expresse Reiffenstuel loc. cit. num. 167. & 173. Pithing. loc. cit. num. 91. Immo ut recte notat Viva loc. cit. num. 12. in fine: *Neque obstat (sunt præcissa verba ipsius) quod invasor sit in mortali, & in æternam damnatur, nam id sua culpa contingit, potestque desistere, si nobis interfici;* Unde non dicitur esse in extrema necessitate; in qua certe præferenda est vita spiritualis proximi vite temporali propria.

Non licet tamen occidere injustum Judicem, Advocatum, & falsum Accusatorem, & testem, quamvis ab eis grave damnum imminet; Alexander enim VII. die 6. Septembris 1655. damnavit absolute sequentem propositionem 18. in ordine: *Licet interficere falsum Accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certo imminet sententia si alia via non potest innocens damnum evitare;* Reiffenstuel loc. cit. num. 140. Viva loc. cit. num. 7. & alii passim. Nec licet defendere defensione occisiva ea, quæ nondum habemus, & ad quæ solum jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus; quia Innocent. XI. die 2. Martii 1679. damnavit expresse sequentem propositionem 32. in ordine: *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ adhuc possidemus; sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus;* Reiffenstuel loc. cit. num. 141. Viva loc. cit. num. 8. Cardenas, & alii passim. Nec licet etiam se defendere defensione occisiva contra injuste impediendam assentionem hæreticis, legatis, cathedra, ut præbenda. Sic enim aperte desumitur ex sequenti propositione 33. inter damnatas ab Innocentio XI. die, & anno quo supra: *Licitum est tam hæreticis, quam legatis contra injuste impediendam, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, re taliter (id est defensione occisiva) defendere, sicuti, & jus habent in cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem injuste impediendam;* Reiffenstuel loc. cit. num. 142. Viva loc. cit. num. 8. Cardenas, & alii hodie communitur. Nec pariter licitum est alium occidere pro necessaria defensione honoris, & famæ. Desumitur ex sequenti propositione 17. inter damnatas ab Alexandro VII. die 7. Septemb. 1665. *Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de re, vel de sua religione minitantem occidere, quando alius motus defendendi non reperitur, sicuti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus religioni publice, vel coram gravissimis viris, prædicta impingere, nisi occidatur.* Item ex hac alia 30. inter damnatas ab Innocentio XI. die, & anno quo supra: *Fas est viro honesto occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; item quoque dicendum, si quis impingat aliam, vel fuste percussit, & post impugnam aliam, vel idem fustis fugiat.* Viva loc. cit. num. 3. Reiffenstuel loc. cit. num. 143. & seq. Cardenas, & alii.

Homicidium voluntarium alterius injuste, seu illicite potest committi sex modis, scilicet, factio, præcepto, consilio, defensione, permissione, cooperatione. Factio homicidæ sunt, qui manibus, ferro, lapide, veneno, laqueo, & omni alio modo ex numeratis à num. 2. ad 14. inclusive vitam eripiunt. Præcepto homicidæ sunt Principes, & Judices, qui condemnant ad mortem innocentes, aut minus nocentes, sicuti & domini præcipientes famulis alicujus occisionem. Consilio homicidæ evadunt, qui alios ad id consulunt, inflammant, & incitant, injuriam

riam aliquam exagerando, ignominiam exprobrando, honoris jacturam exponendo, & hujusmodi. Defensione homicidæ sunt, qui homicidas suscipiunt, protegunt, apud se recipiunt, ipsis favent, asylum præbent, & hujusmodi. Permissione homicidæ dicuntur, qui jurisdictionem habentes, ut Principes, & magistratus, Judices, feudatarii, & hujusmodi, negligunt comprehendere, aut secundum demerita punire homicidas, gratosores, sicarios, & similes Cooperatione homicidæ censentur, qui arma subministrant, qui occidendos capiunt, ligant, detinent, & hujusmodi.

30 Nullo casu licet auctoritate humana, sive publica, sive privata innocentem directe, & per se occidere, etiamsi Tyrannus minetur Urbi excidium, nisi ei mittatur caput innocentis; Communis, & constat ex universalis præcepto divino Exodi 23. ibi: *Insonem, & juratum non occides, quia avertor impium.* Occisio enim innocentis est intrinsecè mala, non minus ac fornicatio, adulterium, &c. adeoque nulla ratione, nulla necessitate potest coherescere. Dicitur autem notanter, *directe, per te,* quia indirecte, & per accidens aliquando licet, ut quando in bello justo victoria aliter obtineri non potest, nisi simul cum nocentibus occidantur innocentes, & quando equo vectus aliter inimicum fugere non possit, nisi ratione via anguste, & arcuæ proculcandis innocentem, infantem, dormientem, claudum &c. & quando non potest aliter evitari Urbis excidium, nisi ad Tyrannum, seu hostem mittatur innocens; Tunc enim potest respicere talem innocentem cogere, ut tyrannum adeat, cum ex caritate, & justitia legali teneatur vitam exponere pro republica; Neque licet esse directe, & per se cooperari ejus morti, sed tantum indirecte, & per accidens, cum traditio de se sit indifferens; & mors tantum sequatur indirecte, & præter intentionem reipublicæ; Immo si civis ille innocens nollet obedire magistratui præcipienti, ut se pro bono communi Tyranno traderet, aut sui traditioni repugnare pertinaciter, jam fieret nocens ratione inobedientie in re justa, & gravissima, & sic juste non ut amplius innocens, sed ut jam factus nocens, & reus posset à republica occidi; Communis. Dicitur etiam notanter *auctoritate humana;* quia neminem licet licere occidere innocentem auctoritate divina; Deus enim est absolutus dominus vite, & mortis; Sap. 16. *Tu es Domine, qui vite, & mortis habes potestatem;* Deuteronom. *Ego occidam, & vivere faciam.* Unde Deo juvante fuerunt licite occisi parvuli licet innocentes Urbis Jericho ab Israelitis; *Josue* 6. & ex ejus mandato Viri Samaritæ occiderunt 70. filios Aechab; 4. Regum 1. & Abraham prompte obedivit Dei præcepto quando mandavit ei ut occideret dilectum, & innocentem filium suum Isaac; *Genes.* 22. An autem Judicium licet condemnare ad mortem probatum nocentem, si scientia privata noverit innocentem; Vide verb. *Judex.*

40 Innocens ad mortem capiendus à satellibus scientibus ipsius innocentiam, potest licite eos occidere, si aliter nequeat se defendere. Si autem satellites nescierint esse innocentem, uti ordinarie scire non possunt, non posset eos licite occidere, quia bonum commune postulat, ut non inferatur damnum Ministris bonæ fide publico officio exercentibus; Molina, *Discept. lib. 3. part. 1. num. 815.* Sic incarcerationis innocens nequit licite occidere custodes carceris, ut effugiat; *Communis,* cum Lugo disput. 40. sect. 4. *La Croix loc. cit.* Nec ducti ad supplicium possunt licite occidere Carcerem, aliosque Ministros, ut evadant; *Communis.* An autem Bannitus possit se defendere, & aggressorem occidere? & an ipse Bannitus possit licite ab aliis occidi? Vid. verb. *Bannitus.*

44 Non licet auctoritate propria, & privata occidere extra causam necessariam defensionis; *Communis.* Nec licet patri filium, aut marito uxorem in adulterio deprehensam occidere; *Communis hodie, ac certa.* Ab Alexandro enim VII. die 7. Septembris 1665. merito damnata est sequens propositio 19. in ordine: *Non peccat maritus occidendo propria auctoritate uxorem in adul-*

terio deprehensam. Immo uxor, & adulter possunt licite se defendere, & cum moderamine inculpate tutelæ etiam occidere maritum, à quo ad mortem injuste invaduntur; quamvis enim invasioni dederint occasionem adulterando, injuste tamen invaduntur ad mortem, adeoque juste se defendunt; Viva ad d. *propositionem* 19. *Alexandri VII. num. 12.* & alii passim. Licet tamen matronæ honestæ, sicut & virginis violentum aggressorem, stupratorem, oppressorem, si nullo alio modo vim impedire, aut inclinare possint, occidere cum moderamine inculpate tutelæ; *Communis, arg. cit. juris sub nam. 27. & 29.*

Auctoritate propria, & privata non licet occidere Principem suum Tyrannum, seu tyrannice populum regentem; in Concilio enim Constantensi definitum est, Hæreticum esse asserte licitam esse privato occisionem Tyranni. Nulli auctoritate humana, secluso Dei mandato, aut instinctu divino, licet se ipsum directe occidere; *Communis in cap. Si non licet, 9. caus. 23. q. 5.* ubi sic expresse habetur: *Profecto etiam, qui se ipsum occidit, homicida est.* Et ratio est, quia homo est solum custos, & usufructus propriæ vite, nec habet jus, & auctoritatem in ipsam, cum non sit ipse Dominus absolutus propriæ vite, sed Deus ex 16. *Sapientia, & 32. Deuteronomii;* ut ex verbis relatis sub num. 38. Dicitur autem notanter, secluso Dei mandato, aut instinctu divino, quia hoc interveniente licitum est homini se ipsum occidere, ut de facto licite se ipsos occidisse creduntur quotquot Sancti, vel Sanctæ in sacris scripturis, vel historiis commendantur, ut Sampson *Judic. 16.* Eleazarus 1. *Machabeor. 6. vers. 45.* Razias 2. *Machabeor. 14. & c.* Apollonia sponte in ignem insiliens, S. Pelagia, S. Sophronia, & aliæ SS. Fœminæ ne pudicitiam amitterent se ipsas occidentes, vel in flumen, vel flammam præcipiantes, sic de aliis similibus, ut late docet S. Augustinus lib. 1. de civit. Dei, cap. 21. 26. & 40. & concordat textus cit. cap. Si non licet, 9. caus. 23. quest. 5. Dicitur etiam notanter *Directe,* quia indirecte licet aliquando se occidere, hoc est aliquid facere, vel omittere, ex quo præter intentionem mors certo sequatur; & ratio est, quia præceptum conservandi vitam, utpote affirmativum, non semper obligat, sed potest omitti propter bonum finem, necessitatem, vel magnam utilitatem. S. Thomas 2. 2. quest. 64. Scotus in 4. dist. 14. quest. 3. §. de secundo, & communis aliorum teste Reiffenstuel *theologia moral. tract. 9. de præcept. decalog. dist. 2. quest. 2. num. 11.*

Hinc resolves primo, posse, immo teneri Militem tempore obsidionis muros conscendere, stationem suam non deserere, quamvis moraliter certus sit se occidendum ab hostibus. Resolves secundo, posse, immo debere Episcopum, aut Parochum tempore pestis per se, vel per alium Sacramenta peste infestis administrare, quamvis sit moraliter certus sese etiam ad mortem inficiendum. Resolves tertio, posse uxorem ad consolationem mariti peste infesti assidere ejus lecto, Religiosos, & alios posse hujusmodi peste infestis deservire, ex caritate, & amicitia, quamvis certo moraliter timeatur similis mortalis infectio. Resolves quarto, posse aliquem ad fugiendum ex alto se præcipitem dare, cum certo periculo mortis. Resolves quinto, posse aliquem ad evertendam turrim hostilem, aut ad perdendos hostes, pulverem incendere, nec hostis ea potius cum gravi republicæ damno. Resolves sexto, posse aliquem licite se objicere telo, vel icui ad servandam vitam Regis, vel Principis, vel in naufragio tabulam cedere amico naufraganti, vel morti se offerre pro injuste damnato ad ipsam. Resolves septimo, licet mortem potius tolerare ex actu virtutis heroicæ, quam injustum vitæ, aut honoris invasorem occidere. Resolves octavo, posse reum licite non fugere, quamvis ad se commoditas: immo etiam sponte se sistere Judicis placendum; velle enim tolerare penam peccati proportionatam est actus virtutis. Resolves nono, licere carnem vigiliis, abstinentiis, mortificationibus, flagellationibus moderatis affligere, quamvis inde vita sit ab-

brevianda. **¶** Quamvis enim vir Christianus (verba sunt Nat. ab Alexand. theol. dogmat. moral. l. 4. de decal. c. 7. art. 4. reg. 7.) corpus suum castigare debeat, & in servitute redigere, ne caro petulans adversus spiritum ita concipiscat, ut ipsum pertrahat ad serviendum legi peccati; quamvis debeat mortificationem Jesu in corpore suo circumferre; quamvis blandiri sibi ipsi non debeat, nimisque timere, ne *Jejunium, quod animabus, corporibusque curandis salubriter institutum est, & medicinalis parsimonia* (ut Ecclesie verbis utar) suæ noceat valetudini; Prudentia tamen christiana, sine qua non est vera pietas ad omnia utilis, & promissionem habens vita qua nunc est, & futura, studia, labores, jejunia, vigiliis, ceterasque corporis mortificationes moderari debet, ut castigetur corpus, dometur caro, non destruat; ut ad serviendum Deo promptior sit homo, & alacrior: non ut impotens ad officia sui status obediatur; ut animus à vitiiis purgatus, & pravaru cupiditatum vinculis expeditus & liber ad Deum erigatur, non ut fatiscens & oppressi corporis pondere prægravetur, ac deprimat. **¶** Resolves decimo, licere alicui abstinere à matrimonio, quamvis in celibatu mori debeat ob indispositionem. Hinc commendatur ab Ecclesia S. Casimirus, qui maluit mori Virgo, quam Mariatus vivere. Sic resolvunt, & exemplificant Lessius lib. 2. de justit. & jur. cap. 9. Fagundez tom. 1. lib. 5. cap. 11. Lugo disput. 10. sect. 1. Layman lib. 3. tract. 3. cap. 1. Busemb. lib. 3. part. 1. tract. 4. cap. 1. dub. 1. Henno tom. 1. tract. in Decalog. dist. 5. quest. 3. art. 2. conclus. 1. & 2. & alii passim.

62 Se ipsos occidentes, an, & quando privandi sint Ecclesiastica Sepultura? Vid. verb. Sepultura.

63 Clericus homicida incorrigibilis debet deponi, & tradi curie seculari, ut moriatur; cap. Si quis 1. de Homicid. Fagnan. ibid. num. 3. cum aliis ibi citatis. Clericus homicida ex proposito debet deponi ab altaris ministerio. Abbas Siculus, Joann. de Anan. Marian. Socin. quos citat & sequitur Fagnan in d. cap. Si quis, num. 6. Clericus homicida voluntarius etiam occultus ex Concil. Trid. cap. 7. sess. 14. omni ordine, beneficio, & officio ecclesiastico perpetuo carere debet. Fagnan. in cap. Henricus 2. de Clericis pugnantis, in Duell. lo. num. 22. Ipse tamen Clericus homicida voluntarius, ejusque socius obtinere, & obtentas retinere potest pensiones, absque dispensatione, non obstante d. cap. 7. sess. 14. Concil. Trid. Fagnan. lib. 1. Decretal. in cap. Ad audientiam, 31. de rescriptis num. 134. ubi refert sic declarasse Sac. Congregationem Concil. die 11. Jul. 1577. & iterum de mente Sanctissimi die 8. Aug. eod. m. anno 1577.

67 Homicidæ damnati, sive diffamati, quamvis remissi fuerint, non possunt habere officia, dignitates, nec testimonium ferre. Pius II. constit. 2. incip. Ad retinendas: Homicidæ non sunt retinendi in loco, ubi degunt hæredes occisi, nisi habita pace. Pius IV. constit. 52. incip. Etsi cuncta: Homicidium commissum à laico, qui postea effectus est Clericus, non punitur quoad personam nisi à Judice ecclesiastico; Sac. Congr. Immunit. sub die 7. Decemb. 1632. Sic Clericus reassumens habitum post commissum homicidium, gaudet privilegio fori quoad personam tantum; Ead. Sac. Congr. Immunit. in Gravinen. 7. Jul. 1699. Homicidium committit mandans in personam unius, si committatur in personam alterius, non incurrit irregularitatem, quæ contrahitur ex homicidio voluntario; Sac. Cong. Conc. referentib. Nicol. Garzia, Armendar. Campan. Riccio, apud Barbosa in summ. Apostolic. decis. verb. Homicida, Homicidium, num. 4. Homicidium vero casuale, cum nulla penitus admissa fuerit culpa, & in quo non datur opera rei illicitæ, non facit quem irregularem; Sac. Cong. Concil. teste Armendar. & Barbosa loc. cit. num. 5.

73 Homicidium committens veneno non gaudet immunitate ecclesiastica; Sac. Congreg. Conc. sub die 3. Decemb. 1632. apud Barbosa loc. cit. num. 7. Homicidii appellatione non venit mutilatio membri; Sac. Cong. Concil. apud Nicol. Garziam, Lezanam, & Barbosa loc. cit. n. 6.

Licitores, vel Satellites nequeunt licite occidere malefactorem, quem jussi sunt comprehendere, nisi conjunctim concurrant sex circumstantiæ sequentes. I. Debet Satellites, seu Licitores habere certum, & speciale mandatum à Magistratu de capiendi illo. II. Capiendus debet armata manu resistere. III. Debet ab ipso, si evadat, graviori mala timeri. IV. Capiendus debet de crimine sufficienter esse diffamatus. V. Crimen debet esse atrox, & capitale. VI. Capiendus non debet posse ullo modo alio capi; Si autem una ex dictis circumstantiis desit, non possunt Satellites licite occidere reum volentem se ex eorum manibus eripere. Sic Jul. Clar. Farinac. Fachin. apud Dian. part. 8. tract. 7. resolut. 44. & alii.

Alia quoad homicidas, & homicidia. Vid. verb. Bellum, Fratricida, Immunitas Ecclesiastica, Maritus, Parricidium, Mater, Matricida, Uxor, Uxoricideum.

Homicida quando incurrat, vel non irregularitatem? Vid. verb. Irregularitas.

Homicida quoad restitutionem. Vid. verb. Restitutio.

Homicidium proditorium ad hoc ut probetur tale, requiritur amicitia præcedens; Sac. Cong. Immunit. in Beneventana 18. Aug. 1637. lib. 3. Decret. Paul. pag. 39.

Non constat de qualitate proditoria, per hoc quod occisus, & occisor dormierint, & luserint simul uno aut altero die ante homicidium, cum, ut fatetur reus, secutum sit ex opinata rixa; & ideo extractus est restituendus; Ead. Sac. Cong. Immunit. in Oriniana 23. Jun. 1695. lib. 1. decret. Vallem. pag. 57.

Quando non constat de qualitate proditoris in homicidio, extractus gaudet, & est restituendus; Ead. Sac. Cong. die 30. Sept. 1634. l. script. vet. pag. 38.

Committens homicidium, quod non sufficienter probatur esse exceptum in bulla, gaudet Immunitate; Ead. Sac. Cong. Immunit. in Amalphanata 28. Septemb. 1660. lib. Decret. Rocci pag. 286. in Neapolitana 18. Nov. 1687. lib. Decret. Mari. pag. 186.

Idem dicitur de homicidio insidioso commisso in palatio Episcopi; Ead. Sac. Congreg. in Neapolitana 7. Septemb. 1688. d. l. pag. 334.

Indiciarius graviter, sed judicialiter negativus de homicidio proditorio, gaudet Immunitate ecclesiastica, sed cum Sanctissimo agit per poena extraordinaria, quæ non excedat trimesem ad quinquennium, & Sanctissimus votum exequi mandavit; Ead. Sac. Cong. Immunit. in Firmiana 11. Januar. 1695. l. Decret. Vallem. pag. 166.

Reum homicidii proditorii, & nefandæ libidinis curie seculari puniendum concedit Sac. Cong. hac tamen conditione, ut si coram Judicibus indicia per torturam purgaverit, Ecclesie restituatur; Ead. Sac. Cong. Immunit. in Neapolitana 14. Nov. 1630. l. 2. decret. Paul. pag. 62.

Clericus extractus reus homicidii proditorii in personam Sacerdotis, probati quidem à testibus, sed quoad qualitatem proditoris non confessi à reo allegante causas inimicitie, condemnatur annuente Sanctissimo in poenam extraordinariam, quæ non excedat decennium, ad trimesem; Ead. Sac. Cong. Immunit. in Policastr. 13. Maii 1692. lib. Decret. Grimaldi pag. 131.

Aliquando homicida extractus, quem Sac. Cong. declaravit gaudere Immunit. annuente Sanctissimo, attentis gravibus circumstantiis consignatur Curie Legationis pro poena extraordinaria ad trimesem, quæ non excedat quinquennium; Ead. Sac. Cong. Immunit. in Bonon. 25. Mart. 1658. l. Decret. Rocci pag. 76.

Homicidium commissum in loco immuni in personam Clerici quindecim annorum inservientis Confugio inimico occisorum, ex motu iracundie, non invento Confugio, non est casus exceptus in bulla, attamen ex gratia occisores conceduntur Curie laicæ citra poenam sanguinis; Ead. Sac. Cong. in Neritonen. 4. Decemb. 1629. lib. 2. Decret. Paul. pag. 18.

Idem die de homicidio Clerici patrato ab homine commorante in domo ejusdem Clerici, inter quos præcesserant alteraciones; Ead. Sac. Cong. Immunit. in Anagnina 22. Jan. 1704. l. 3. Decret. Vallem. pag. 550.

Præcipitur Vicario Generali ut conficiat processum 90

super qualitate homicidii prætensi proditorii cujusdam Regularis Laici, & transmitat, & interim caute custodiat in carceribus episcopalibus; Ead. Sac. Congreg. Immunit. in Carstana. 29. Octob. 1672. l. 1. Decret. Alt. pag. 745.

Contra Clericum, qui post proditorium Sacerdotis homicidium confugit ad Conventum Religiosorum, injungitur Episcopo, ut procedat ad formam bullæ Gregorij XIV. Ead. Sac. Cong. Immunit. in Oppidana 4. Novemb. 1639. lib. 1. Decret. Vallem. pag. 84.

Sanctissimus tribuit Legato Bononien. facultatem procedendi contra Clericum ob homicidium patratum cum assistentia personarum pertinentis ad eundem Clericum; Ead. Sac. Cong. Immunit. in Bonon. 26. Nov. 1695. d. lib. pag. 230.

Injungitur Vicario Apostolico, ut incumbat incarcerationi complicis homicidii in ecclesia patrati; Ead. Sac. Cong. Immunit. in Sorana 5. Maii 1699. lib. 2. Decret. Vallem. pag. 219.

Hodie supradicta decreta, ac alia intelligenda sunt juxta novissimam constit. Benedicti XIII. incip. Ex quo: allata sub verb. Immunit. art. 2. num. 90. & juxta novissimam const. Bened. XIV. incip. Officii nostri: allatam eod. verb. Immunitas, art. 2. num. 157.

¶ Clemens XII. constitutione, quæ incip. In supremo justitiæ solio: approbavit, confirmavit, innovavit, & adversus quemcumque non usum, seu contrarium usum, qui quovis modo præsumi, & allegari potuissent, restituit, & plenarie reintegravit, & deinceps observari omnino, & inviolabiliter mandavit, omnes, & singulas constitutiones adversus homicidas saluberrime editas à Pio II. Paulo II. Sixto IV. Julio II. Leone X. Julio III. Pio IV. Pio V. Gregorio XIII. Sixto V. Gregorio XIV. Clemente VIII. Innocentio XI. Innocentio XII. ac Benedicto XIII. & quibusvis aliis Romanis Pontificibus. Præterea decrevit, ut deinceps Privilegiatis, vulgo Patentatis, in causis homicidii non suffragetur privilegium fori, exceptis tamen officialibus, aliisque Privilegiatis à congregatione pro tempore existentium ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinalium contra hereticam prævitatem generalium Inquisitionum, ac Ministris ab ea interventibus Archiepiscopis, & Ordinariis, eorumque Curis, quorum numerus, & qualitates Summo Pontifici præfinitive reservantur. Item voluit, ut Clerici Tonzurati non Beneficiati, pro duobus homicidiis, privilegio fori, & canonis priventur; & ut Clerici in minoribus ordinibus constituti, & non Beneficiati tam coelibes, quam conjugati, si præscripta à Concilio Tridentino non servent eodem privilegio priventur; Sed ab Ordinario declarandum esse constituit, utrum præscripta à Concilio servaverint, non retardata tamen Rei assensu. Rursus decrevit, Ecclesiasticos æque ac Laicos, homicidii præmeditati reos, non gaudere immunitate ecclesiastica; Ecclesiasticos vero ab eorum Judice ecclesiastico judicandos, & citra poenam sanguinis juxta sacros canones puniendos. Ulterius declaravit, Benedicti VIII. constitutionem extendi quoque ad mandantes, adjuvantes &c. atque ad natu minores viginti quinque, majores vero viginti annis, tam Laicos, quam Clericos. Voluit tamen, ut illorum extractio à loco immuni, atque traditio Curie seculari, quoad Laicos, ad ejusdem Curie Secularis Inquisitionem, fiat à Curia ecclesiastica, & quoad Clericos, ab ipsa Curia ecclesiastica ex officio omnino extrahatur. Extenditur quoque ad inquisitos, & damnatos de homicidio in contumaciam, dummodo homicidium non fuerit casuale, vel ad propriam defensionem.

Denique ordo præscribitur servandus in extrahendis reis à loco immuni. Si reus per sententiam jam damnatus sit, vel sufficientia suppetant ad capturam indicia, dum delinquens sit Clericus, Judex ecclesiasticus ex officio, ac nemine etiam requirente: si vero sit laicus, postquam à seculari requisitus fuerit, ad ipsius delinquentis extractionem ab Ecclesia, seu loco immuni, impiorato etiam si opus est auxilio brachii secularis, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ ab Episcopo deputandæ, devenire teneatur, extractumque ad suos, si tui,

& securi fuerint: sin minus ad Curie secularis carceres adportari, ibique sub tuta custodia detineri cuaret, & faciat. Ubi vero ex processu informativo quoad inquisitum nondum condemnatum, indicia acquisierit sufficientia tantum ad torturam, atque noverit ab extracto à loco immuni homicidium exceptum patratum fuisse, Judex ecclesiasticus declarare debet constare de casu excepto; & deinde extractum, si Laicus sit, Curie seculari, si autem Clericus, ejus competentis Judicis ecclesiastico tradere debeat, exactis tamen receptisque in actu traditionis, & consignationis hujusmodi, à Judice seculari juramento, ab Ecclesiastico extractum è loco immuni sub poena excommunicationis Romano Pontifici reservatæ, dummodo extractus in defensionibus præfata indicia elidat, & diluat. At si reperiatur reus, à Judice suo, ut supra dictum est, patri debet. Quoad damnatos vero in contumaciam ante extractionem, voluit, ut à Judice ecclesiastico examinaretur, num contumacialis sententia legitime, & juste prolata fuerit, & num consignandus veniat, nec ne, & exactis ac receptis juramento, & promissione ut supra, tradendum decernit, ea lege, ut si in defensione sceleris indicia diluerit, loco immuni restituatur sub poena ut supra; quin tamen lata per Judicem ecclesiasticum super immunitate sententia in alio judicio robari habeat ullum. Hac constitutio à Clemente XII. pro ditione Romano Pontifici subjecta emanata, à Benedicto XIV. extensa fuit ad ditionem Reipublicæ Lucanæ, & in concordatis ad alias ditiones. Quoniam vero ex prædictis constitutionibus nonnulla oriebantur dubia, Benedictus XIV. constit. quæ incipit Officii nostri: de medio illa tollere voluit, ac primum circa personas declaravit, hujusmodi constitutionibus comprehendere omnes, & singulos cujuscumque ordinis, congregationis, militiae, & instituti regulares, tum in ipsis expresse professor, quam illis quomodolibet adscriptis cujuscumque gradus &c. item mulieres, ac etiam milites, quin illum militare privilegium suffragare ipsis possit, aut debeat. Deinde comprehendit voluit homicidium quodcumque etiam baculo, aut saxo commissum, ubi ex delicti circumstantiis dignoscatur, illius actum, quamvis in rixa commissum, non casu, aut ex necessaria defensione, sed ex odio, & nocendi animo, ac voluntate prædiisse. Si vero percussus statim non moriatur, sed chirurgus ad inspiciendum vulnus accitus, grave vitæ periculum adesse referat, decernitur, ut percussor è loco immuni ad quem confugerit, servatis servandis, extrahatur, & carceribus mancipetur; hac tamen lege, ut ecclesia omnino restituatur, ubi is, qui vulneratus fuerit, ultra tempus à legis constitutionibus superius visat, & quidem sub poenis, quas supra recensuimus. Ut vero facilius per Episcopos hujusmodi constitutiones executioni demandentur, præcipit omnibus Episcopis, ut solliciti sint in iis exequendis, quæ adversus hujusmodi reos præstanda sunt, ac facultatem concedit, ut, quoties in hujusmodi casibus pro parte Curie laicæ requisiti fuerint, Vicarii sui Forancis, sipe etiam alii Personæ Ecclesiasticæ ad id per ipsos Antistes deputandis, committere possint, indicia ad extractionem necessariam juridicè colligant; ut, his hinc inde superius visat, prout juris erit, ad delinquentium hujusmodi extractionem quantumvis decernendum valeant.

¶ Advertendum est, quod omnes constitutiones Pontificiæ hic à Theologo ad rem citatæ, jam fuerant à me ad litteram adductæ; nempe Constitutio Benedicti XIII. incip. Ex quo: in verb. Immunitas art. 2. num. 90. constitutio Clementis XII. incip. In Supremo justitiæ solio: in supplementis ad verb. Immunitas, constit. Benedicti XIV. incip. Officii nostri: in supplementis ad dict. verb. Immunitas: atque alia ejusdem Pontif. incip. Destabilis: in supplementis ad verb. Propositiones damnatæ (in prioribus editionibus; in præsentibus vero in supplementis ad verb. Duellum) è quibus abunde, & clare potest prudens lector colligere omnia, quæ circa homicidas & homicidia sanctissime sancita sunt.

Homicidæ quantumlibet privilegiati (salva exceptio- 95 ne Patentatum Sancti Officii, & Curiarum episcopali- lium)

176 Item non gaudet privilegio fori in statu ecclesiastico, & in aliis, ad quos extense fuerant constitutiones hac de re editæ. Benedictus XIV. tom. 1. constituit. 88. *incip.* Alias: §. 1. Homicida si tonsurati sint, non beneficiati, licet servantes præscripta Concilii Tridentini, privantur privilegio fori post duo homicidia; Idem *ibid.* §. 2. Si sint Clerici in minoribus non beneficiati, nec servantes præscripta Concilii, non gaudent privilegio fori in hisce causis, atque etiam expleta delicti poena, eodem privilegio privati censentur; Idem *ibid.*

178 Homicidium deliberatum patentes laici non gaudent immunitate ecclesiastica in statu Ecclesie, aliisque ut supra; Idem *ibid.* §. 3. Item ecclesiastici cujuscumque ordinis; Idem *ibid.* Item mandantes, adjuvantes, consulentes, instigantes, ut aliam operam occisori præbentes, tam Laici, quam ecclesiastici; Idem *ibid.* §. 4. Item inquisiti, baniti, & damnati de homicidio in contumaciam; Idem *ibid.*

179 Cum homicidis, & bannitis etiam in casu homicidii voluntarii major Penitentiaris potest dispensare, ut Religionem approbatam etiam tamquam Clerici ingredi possint, additis tamen quibusdam clausulis, de quibus Pontifex in sua *bullo* Pastor Bonus tom. 1. *Bull. n. 95. §. 17.*

180 Alia ad rem vide *verb.* Propositiones damnatæ.

181 Variat tum poena homicidii, tum poenitentia à jure ecclesiastico Irrogata, pro varietate circumstantiarum ejusdem homicidii. Qui furem vel latronem interfecit, distinguitur, utrum comprehendi sine occisione potuerit, quo casu furem occidendo graviori poenitentia subditur, an vero sine odii meditatione se suaque liberando eum interfecerit? qui merito ab omni poenitentia fere immunis est; c. 3. *de Homicid.* Etiam in foro criminali poena extraordinaria leviori afficitur.

182 Pariter secundum jus divinum, ecclesiasticum, & seculare, fur nocturnus impune occidi valet, diurnus autem non aliter, quam si telo se defenderit; cap. 3. *dist. tit. de Homicid. l. 54. §. 2. ff. de furt. l. 9. ad l. Cornel. de Sicar.*

183 Ex hoc principio de fure diurno licite non occidendo formati Pontifex decisionem in cap. 18. *de Homicid.* Quidam Presbyter grave vulnus inflixerat furi deprædanti Eucharistiam cum ornamentis altarium, & libris ecclesiasticis, quem acclamatione facta Parochiani occiderunt. Fuit quaesitum, an hac percussione irregularis factus esset necne? Distinxit Pontifex, utrum constet vulnus inflictum à Presbytero non fuisse lethale, ut ex eo haud perisset, si sequuta haud fuissent aliorum vulnera. Quo casu à sacerdotali officio non removetur; An vero vulnus lethale reperit fuerit: tunc enim pro homicida & irregulari habendus. Qua censura etiam notandus, si descendi nequeat ex cujus ictu percussus perierit.

184 De occiso in concursu, tum etiam in conspiratione, vide quæ habet Alexander III. in c. *dist. tit. de Homicid.*

(Si leges ex 13. *ad 16. tit. 6. p. 1.* (Lit. I. pag. 223. col. 2. in fin.) bene perlegantur, casus propter quos in homicidio crimine irregularitas contrahitur, advertere est pernece: in eis exempla homicidii voluntarii, casualis, cum moderamine inculpate tutelæ facti, & ejus quod per officium justitiæ exercentem fit, aut fieri imperator, recte discernuntur. (Vid. in *dist. lit. l. ex pag. 210. col. 2. verb. Septimo*; *ad 213. col. 1. ubi quæ in præcatis legibus proponuntur, cum ibi expositis conveniunt*) ferè non discrepant, nihilominus notabitur, in prima quatuor modis (Vid. *sup. num. 35.*) videlicet *falto, consilio, præcepto, & actu* effici homicidium posse: hæc per quam optime expenduntur: In secunda casuali explicationem mereri: In tertia pro sui defensione commissum: In quarta, de eo agi qui per Justitiam occidit, præcipit, consulit, & juvat. Enarrantur in eis ea omnia, per quæ irregularitatem quilibet incurrit: sed in *tit. l. 8. p. 7.* de penis tractatur, quibus similia patentes plebii debent, ideo non erit à ratione alienum, aliqua inserere ex ejus sexdecim legibus provenientia. Eodem modo per primam definitur & dividitur homici-

dium. Per secundam designatur qui poena homicidii tenentur, scilicet aliquem scienter, & dolose interficiens: & quamvis per leg. 15. injustus homicida, si generosus fuerit, in insulam perpetuo deportatur, bonaque ejus ad tertium usque gradum ascendentes, & descendentes applicentur, istis non existentibus, regie Camera: plebejus poena mortis plebicitur, ac facultates ab invicem succedentibus; (vid. *verb.* Testamentum, *verr.* Ita testamento condito: in *add. hisp.*) tamen per leg. 1. & 2. *tit. 17. lib. 4. For. Reg. 3. 4. & 12. tit. 13. lib. 4. Ord. Reg. 2. 3. & 4. tit. 23. lib. 8. Recop. Cast.* quarum observantia nemini in dubium venit absque personarum distinctione omnes injuste occidentes capite damnantur; (vid. *verb.* Fur, ubi in poenarum executione discrimen inter eos, qui nobilitate fruuntur, ab hacque prerogativa excluduntur, prævenitur) locum obtinet per consequens hæc animadversio & ingreditur, nisi cum moderamine inculpate tutelæ, aut occiso sine occidendi animo fiat, nam si ita non sit, (leg. 15. 6. 7. & 9. *For. 2. 4. 5. & 6. ejusd. tit. & p. 4. 14. & 15. Ord. 1. 2. 3. 4. 12. & 13. Recop.*) effectum sortietur.

Notata licet sufficienter, utpote Auctor optime se gerit in diffinitione, divisione, & hujus criminis explicatione, & ejus doctrina cum insertis titulis legum hispaniarum bene consonat, à facta promissione non est recedendum, quare leges Part. cum ceterarum determinationum indicatione quid decernant, subsequitur. Si aliquis alterius conjugem apprehendens, filiam, sororem animo vi cum eisdem coeundi, occisus fuerit, homicidam nullo supplicio obstringi, ita leg. 3. dispositum existit: non discrepat leg. 1. *For. 4. Ord. & 4. Recop.* dummodo ad concubium eas coactæ abducat: verum etiam eadem dispositiones, similia patentes facinora si interficiantur, tales homicidas à mortis poena liberant, quando de facto sic coeuntes in ipso crimine reperiuntur; (Vid. *add. hisp. verb. Forum, verr.* De alii theori: & *remis. ad id.*) eandem effugit vindictam, qui furem nocturnum, domi inventum, cum furo terga verentem, si comprehendi nequit, diurnum, armis se defendendo si absque præjudicio detineri non valet, rapto rem violentum latronem publicum; agros nocturno tempore devastantem, & grassatorem, è medio tollit. (Vid. *verb. Forum, subseq. verb. Fur, & Grassator.*) eosdem gressus sequitur qui aggredientem dominum, patrem, & filium occidit; (Vid. *add. hisp. novis. verb. Famulus*) sic per leges citat. disponitur: aliquid amplius leg. 3. *part. se* extendit, nam ab eadem animadversio furiosum, mente captum, minores sexdecim annos cum dimidio non adimplentes; (Vid. *verb. Accusari, qui possit, ex pag. 41.*) eximit. Per leg. 4. casus recensentur, per quos casuale patratum homicidium; (Vid. *ad id. leg. tit. 15. p. 7. præcipue C. 6. 7. & 9. For. Reg. 14. & 15. Ord. 13. Recop. & sup. lit. l.*) ceterum, ut ita fuisse commissum credatur, stabilitur, à perpetrante juramentum præstandum, casu, & absque occidendi voluntate interfecisse, nullasque cum interfecto inimicitias habuisse, iri comprobatur: si jurare recusat, & in probatione deficit, contra eum præsumptio oritur, atque arbitrariam poenam sustinebit: exempla, quæ recensentur, ostenduntur, qui alium percussit quem per rixam intendit: cursu præcipite, & loco consuero equum agitans, aliquem opprimit ballistarius, Jaculator, arboris putator, ædificia reficiens, si omnia ad injuriam, & damnum evitanda adhibeantur, liberantur, nam post habita simili diligentia, nisi poena capitali non plebantur, ad aliquod tenentur, neque absolute liberi permanebunt; (Vid. *precipue leg. cum 5. tit. 8. & 15. p. 7.*) in qua plurima referuntur exempla, in quibus, dum casuale homicidium culpa præcipit, ad quinquentium in insulam deportatio infingitur. In leg. 6. poena determinatur qua medici, & chirurgi impetite medicamentis utentes, plebii debent: qui mulieribus medicinam ad concipiendum elargiuntur: apothecarii absque medici præcepto potionem preparantes, si ex omnibus mors sequatur, dummodo dolus abfuerit; In septima denotatur, non solum res veneficas vendentes, & ementes, sed etiam easdem indicantes; tamen effectum non sequatur, ultimo

timo supplicio afficiendus: ceterum morte sequita, ut laniantur, bestiis esse tradendus; In Octava, de muliere prægnante, aut alio quolibet tractatur, si dolose fecit abortum, (Vid. *verb.* Abortus) factu animato; In nona, de patre, domino, & magistro, filium, servum suo familiare, & discipulum immoderate, & severe animadvertentibus, magnum discrimen præ oculis est habendum, ex animi præmeditatione poena æstimatur: per idem tempus (Vid. *sup.*) in insulam fiet deportatio, si animus desit occidendi, si adest, morti adducitur; In decima, de iracundo, ebrio, mente capto, se ipsos, aut alium occidere volentibus loquitur, si ab aliquo arma tradantur eisdem, tunc equidem mors si evenierit, ea qui tradidit, ultimum supplicium non evadit; In undecima de iudice malitiosam sententiam, sive ad mortem, membri mutilationem, seu exilium profertente agitur: si omnes eandem poenam subibunt: verum, cum per consultationem regulariter sententiæ criminales ab inferioribus, (Vid. *verb.* Appellatio, in *add. hisp. verr.* In criminalibus:) promulgatæ ad prætoriam hodie deferantur, videtur per quam difficile posse ab inferioribus hac intentione procedi: mihi videtur, neque in tribunalibus inferioribus, multoque minus in Superioribus causas civiles sive criminales prava iudicium intentione decidi valere: si aliquid est admittendum, in errore intellectus consistit, non in voluntate: verum fragiles & infirmi sumus, hac de causa leg. 25. *tit. 22. p. 3. cum præcedenti* clamatur, ideo si accidere potest, & cur non erit poena signanda? præmaxime dum ea intra suos cancellos homines continet. De falso teste in tali causa deponente idem assertur. (Ad rem vide *verb.* Falsum, *verr.* Testis: *verb.* Testis, *art. 3. verr.* Cum non semper: in *add. hisp.* Conducit additio nov. *hisp. in dist. verb.* Falsum) In duodecima in paricidas, fratricidas, omnesque alios qui affinitate, & consanguinitate junguntur, supplicium decernitur: nec exclusi manebunt auxiliantes, & hujusmodi facinori faventes, licet mors non sequatur, si per eos non steterit: poena ita exercetur; qui tale crimen perpetrat, virgibus caesus, in culleo cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & simia insuitur, atque in mare, vel amnem profundum projicitur. (Vid. inter alios M. D. Anton. Gom. *super hoc, & præcedentibus tom. 3. de homicidio, præsertimque de paricidii crimine DD. Joann. de Solorzano Perea lib. 1. & 2. in operibus, post mortem ejus in lucem editis, ubi suo more omnia ad simile delictum concernentia explicat)* Hodie vero, aut furca suspenditur, si plebejus, seu strangulatur si nobilis: postea dolio, ubi animalia prædicta deperita reperiuntur, inclusus, in amnem proximum jactatur, statimque ex dolio charitatis sodalitas corpus extrahit, ac ecclesiastica donatur sepultura. In decima (Vid. *add. hisp. nov. verb.* Eunuchus.) In decima quarta quis de homicidio accusare potest, vid. *lit. A. ex pag. 39. In decima quinta* de penis agitur, *vid. sup. In decima sexta* tractatur de supplicio, quo famuli, & servi sunt plebii, si domino, aut hero, cui magnum vitæ periculum imminet, non opitulentur, vid. *verb.* Famulus, in *add. nov. hisp.*

Hic consentaneum erat *tit. 15. p. 7.* cum multis decisionibus *tit. 4. lib. 4. For. Reg.* Subnectere: sed de hoc aliquid *verb.* Damnificatio, *verb.* Falsum, insertum invenies, etiamque *lit. E. pag. 236. prop. med. col. 1. præcipue verb.* Restitutio.)

HONESTAS PUBLICA. Vide *verb.* Impedimenta Matrimonii *art. 2. à n. 20. ad 27.*
HONOR. Vide *verb.* Detractio *art. 1. num. 3. & 4.*
HONOR CANONICÆ. Vid. *verb.* Officium Divinum.

HORTATORIÆ.

Litteræ hortatoriæ regie nequeunt decerni, relaxari, nec exequi à laicis nedom contra Episcopos, sed nec contra Ecclesiasticos; Sac. Cong. *Immun. in Gravin. 10. Febr. 1632. l. 2. Decret. Paul. pag. 114. in Alexanen. 23. Apr. ejusdem anni lib. 2. Decret. Paul. pag. 120. in Consentina 9. Octobris 1635. lib. 2. Decret. Paul. pag. 235. Ferrar. Bibliothec. Tom. IV.*

Injungitur Episcopo, ut respondeat cum libertate 2 ecclesiastica ad literas hortatorias; Ead. Sac. Cong. *Immun. in Hieracen. 22. Septembris 1692. lib. 1. Decret. Vallem. p. 78.*

Aliquando, ut non curet de hortatoriis regis, cum 3 non sint de jure permissæ, & à sac. canonibus improbatæ; Ead. Sac. Cong. *Immun. in Nuscana 15. Febr. 1633. l. 2. Decret. Paul. p. 151. & in Avellana 22. Julii d. anni, & l. pag. 164.*

Aliquando ut se abstineat respondere dictis literis; 4 Ead. Sac. Cong. *Immun. in Vicana 26. Julii 1644. l. 3. Decret. Paul. p. 234. & in Boven. 5. Maji 1651. lib. 4. Decret. Paul. p. 146.*

Aliquando ut non pareat literis ad audiendum verbum regium; Ead. Sac. Cong. in *Lancianen. 22. Novemb. 1633. lib. 2. Decret. Paul. pag. 176.*

Sic literis regis de transmittenda nota Clericorum 6 Archiepiscopus non pareat; Eadem Sac. Cong. *Immun. in Cosentina 17. Januar. 1634. lib. 2. Decret. Paul. pag. 181.*

Pariter Episcopi non debent attendere ad literas regias, sed continuare in residentia suæ ecclesie; Eadem Sac. Cong. in *Bojanen. 2. Nov. 1639. lib. 3. Decret. Paul. pag. 104. & 27. August. 1641. ibi p. 154.*

Contra Auctores, & Complices dictarum literarum 8 Episcopus conficiat processum; Eadem Sac. Cong. *Immun. in Aliphana 27. Febr. 1674. lib. 1. Decret. Alrov. pag. 901.*

Sac. Cong. annullat factum Vicarii Abbatialis vigore literæ hortatoriæ regie tamquam invalidum, suspendit ipsum à divinis, ac inhabilitat ad dictum officium, & alia quæcumque, etiam si profiteatur se hæc fecisse ex mera ignorantia; Eadem Sac. Congregatio in *Nullius Cassianovæ 13. Decemb. 1633. lib. 2. Decret. Paul. pag. 179.*

Vicarius Capitularis Acherontis contra Ordines 10 Sanctissimi, & Sac. Cong. obediens literis regis de accedendo Neapolim, declarat suspensus à divinis, privatur Vicariatu, & inhabilitatur ad hujusmodi officia, & ei præcipitur, ne discedat ab Urbe, & decretum præfatum notificatur tam Nuntio, quam Capitulo per literas, quæ ad futuram rei memoriam retineantur in actis Nunciaturæ, & Curie ecclesiasticæ Acherontinæ, & si non justificaverit allatam legitimam excusationem inhabilitandus est etiam ad beneficia; Ead. Sac. Cong. *5. & 13. Jul. 1633. lib. 2. Decret. Paul. pag. 160.*

Vicarius bene agit non parendo literis ad audiendum verbum regium; Ead. Sac. Cong. *Immun. in Catacen. 21. Septemb. 1633. lib. 2. Decret. Paul. pag. 171.*

Idem respondeat literis regis se procedere auctoritate sua ordinaria ad defensionem immunitatis ecclesiasticæ sibi à Sac. Cong. demandatam; Ead. Sac. Cong. *Immun. in Bovinen. 26. Febr. 1658. lib. Decret. Rocci pag. 63.*

Idem ob inobedientiam, & transgressionem mandatorum Sanctissimi de non discedendo ab Urbe Neapolis, & de non relinquendo exercitio sui Vicariatus ex quacumque causa, etiam positus quibuscumque minis, & præceptis ministrorum laicorum in contrarium, de ordine Sanctissimi à Nuntio auctoritate sua ordinaria condemnatur in poenam suspensionis ab exercitio Ordinum, & inhabilitatis ad dignitates, beneficia, & officia ecclesiastica cujusvis generis, quocumque loco, à quibuscumque, & quomodocumque imposterum obtinenda sub poena excommunicationis Summo Pontifici reservatæ, & quousque Sanctitati suæ placuerit; Ead. Sac. Cong. in *Neap. 25. Maii & 10. ac 30. Junii 1660. lib. Decret. Rocci pag. 257. & 259.*

Scribitur Nuntio Neapolis, ut statim per viam Monitorii judicialis cogat Episcopum Motulen. qui vocatus per literas hortatorias regias ibi comparuit in quibusdam causis ecclesiasticis ante ministros regios, redire ad residentiam sub penis suspensionis, inhabilitationis, privationis, ac aliis arbitrio; necnon mandat Episcopo, ubi fabricatus fuit processus contra dictum Episcopum per curiam secularem ut ser. ser. procedat ad censuras, & penas canonicas contra omnes, qui hac